

Fr. Grunacker Jo. Heinr. Holtzmann

Dissertatio Logica ...


4 : Dissertatio Logica Quarta, Doctrinam Syllogismorum breviter explicans

Berolini: Schlechtiger, 1718


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn815358792>

Band (Druck) Freier  Zugang





Ec-1054.



DISSERTATIO LOGICA
QUARTA,
**DOCTRINAM
SYLLOGISMO-
RUM**

breviter explicans,
QUAM

PRÆSIDE

M.FR. GRUNACKERO

DEFENDET

D. 4. Mart. 1718.

RESPONDENS

JOH. HEINR. HOLTZMANN,
BER. MARCH.

IN MUSÆO DN. PRÆSIDIS,

BEROLINI,

Imprimebat GOTTHARD SCHLECHTIGER, Reg. ejusdemque
Societ. Scient. Typogr.

V I R O
S U M M E R E V E R E N D O , A M -
P L I S S I M O N E C N O N D O -
C T I S S I M O

D O M I N O

D N . J O H .
P O R S T ,


S . R e g . M a j . P r u s s . à C o n s i l i i s S a c r i s
& P r æ p o s i t o B e r o l i n e n s i g r a v i f -
s i m o , d i g n i s s i m o ,

P A T R O N O S U O A D C I N E R E S
u s q u e c o l e n d o ,

C h a r t a c e u m h o c c e m u n u s c u l u m , c u m v o t o o m n i s f e -
l i c i t a t i s à P a t r e l u m i n u m , i n s i n g u l a r e a m o r i s
S y m b o l u m

o f f e r t

J o h . H e i n r . H o l t z m a n n .



PARTIS GENERALIS
LOGICES

LIB. III.

DE

DOCTRINA SYLLOGISMORUM.

CAP. I.

DE

SYLLOGISMIS IN GENERE EJUSQUE
TERMINIS AC PROPOSITIONIBUS.

I. SYLLOGISMUS* est discursus, in quo positis & legitime dispositis duabus propositionibus, Majore & Minore, colligitur tertia, quæ vocatur conclusio, e.g. Propos. Maj. Omne peccatum est contra legem Dei, Min. Blasphemia est peccatum, Concl. E. Blasphemia est contra legem Dei.

A 2

II. In

RESP.

J. Heindr.
Holtzmā.

OPP.

J. Georg.
Brandes.

Chr. Ern.
Simonet-

ty.

• Postquam egimus de terminis, tanquam prima mentis operatione, de enunciationibus, tanquam secunda mentis operatione, in prima & secunda Disput. Log. jam etiam tractabimus de Syllogismis, tanquam de tertia mentis operatione. Est autem Syllogismus græcum vocabulum, & derivatur a. v. συλλογίζομαι quod computo, in summam colligo, & unum ex alio deduco, significat. In Logicam hæc vox traducta est ex Arithmetica, quæ & Logistica dicitur. Ut enim (1.) in Regula detri tres numeri inter se conferuntur: Ita in syllogismo tres termini disponuntur. (2.) Ut ex illis numeris ignotus & verus quotiens deducitur: ita ex datis notisque præmissis ignota conclusio elicitur.

II. In omni syllogismo tres termini & tres propositiones observantur. Termini vocantur Major, Minor & Medius. Propositiones sunt Major, Minor & Conclusio.

III. Major terminus est prædicatum quæstionis. Minor est subjectum quæstionis. Et Medius est ratio quæstionis, e. g. Estne sacra scriptura (Minor terminus) perfecta (est major terminus)? affirmatur. Quia omnia in se continet, quæ ad salutem sunt necessaria (est Medius terminus.)

IV. Major propositio est in qua disponitur Medius terminus cum Majori. Minor propositio est in qua habetur Minor terminus cum Medio. Et conclusio est in qua Minor cum Majori conjungitur, e. g. Quæc. Scriptura omnia in se continet, quæ ad salutem sunt necessaria, illa est perfecta.

Sacra scriptura omnia in se continet, quæ ad salutem sunt necessaria.

E. Sacra scriptura est perfecta.

CANONES.

I. In Syllogismo tres tantum debent esse termini, non plures nec pauciones. Nam ex duobus vel quatuor terminis nihil sequitur, e. g. Fideles in mundo versantur in gratia Dei. Sed qui versantur in gratia Dei sunt fideles in mundo. E. fideles in mundo versantur in gratia Dei. In hoc syllogismo duo tantum ad sunt termini. Q. Credit in Deum, salvatur. Diabolus credit Deo vel Deum. E. Diabolus salvatur. In hoc syllogismo ad sunt quatuor termini, mutatur enim hic constructio verborum. Aliud est credere in Deum & aliud est credere Deum vel Deo. * II.

* Plures sunt termini quam tres in syllogismo (I.) quando terminus æquivocus adhibetur, e. g. Vulpes est quadrupes. Herodes est vulpes. E. Herodes est quadrupes.

II. Medius terminus neque ex toto, neque ex parte conclusionem debet ingredi. Hinc male ita con-

cluditur: O. Bonus pictor est vir. Apelles est bonus pictor. E. Apelles est bonus vir. Ita inferendum erat: E. Apelles est vir.

III. Nec plus nec minus fit in conclusione, quam in præmissis. Malus ergo syllogismus hic est: Quicumque non sunt contumeliis afficiendi, illi sunt honorandi. Sancti defuncti non sunt contumeliis afficiendi. Ergo sancti defuncti, sunt honorandi & invocandi. Omittenda hic fuisset vox invocandi.

IV. Ex puris negativis (sc. propositionibus in syllogismo) nihil sequitur, e.g. Nulla campana est baptizanda. Nullus infans est campana. Ergo nullus infans est baptizandus.*

V. Ex puris particularibus nihil sequitur, sc. in prima & secunda figura, e.g. Q. homo est aulicus. Q. rusticus est homo. E. Q. rusticus est aulicus.

A 3

VI.

drupes. (2.) Quando suppositio terminorum adest, quando vox in una propositione formaliter & in altera materialiter sumitur, e.g. Homo derivatur ab humo, foemina non derivatur ab humo. E. foemina non est homo. (3.) Quando terminus collectivus cum distributivo confunditur, e.g. Omnes Germani sunt tota natio Germanica omnes Lipsienses sunt Germani. E. Omnes Lipsienses sunt tota natio germanica. (4.) Quando tacita determinatio in Minore accedit medio termino, quæ non erat in Majore, e.g. Quod corpus in his terris gestavimus, illud etiam in vita æterna gestabimus. Sed corpus animale, corruptibile &c. (quæ sunt determinationes, quas corpus in Majori non admittit, tantum corpus intelligebatur ratione substantiæ.) E. (5.) Quando variatur constructio terminorum in propositionibus, datum est Exemplum sub Can. i.

* Interdum syllogismus aliquis videtur constare ex puris negativis, ubi tamen termini sunt infiniti, & negatio ad subjectum vel prædicatum pertinet, ut plerique existimant, e.g. Qui non sunt ex Deo, verbum Dei non audiunt. Judæi non sunt ex Deo. E. Judæi verbum Dei non audiunt. Alias per accidens quoque ex puris negativis infertur verum, non quidem vi formæ sed materiæ, e.g. Nullus Diabolus est beneficus. N. avarus est diabolus. E. N. avarus est beneficus.

VI. Conclusio imitatur partem debiliorem, h. e. quando præcessit negatio, conclusio etiam debet esse negativa, vel quando præcessit particularitas, conclusio etiam debet esse particularis. Hinc N. V. Quidam fideles salvantur. O. fideles sunt vocati. E. O. vocati salvantur. Major hic fuit particularis. Ergo & conclusio debebat esse particularis.

CAP. II.

DE SYLLOGISMORUM FIGURIS.

I. FIGURA Syllogismi est legitima terminorum & propositionum dispositio ad aliquid concludendum.

II. Figuræ syllogismorum tres sunt. Prima, Secunda & Tertia.

III. Figura I. est, in qua medius terminus in Majori propositione stat loco subjecti, & in Minori propositione loco prædicati. Habetque IV. Modos, Barbara, Celarent, Darii, Ferio. *

BAR Omnis ex Deo natus est filius Dei.

BA omnis fidelis est ex Deo natus.

RA ergo omnis fidelis est filius Dei.

IV. Figura II. est, in qua medius terminus in Majori & Minori propositione stat loco prædicati. Habetque IV. Modos, Cesare, Camestres, Festino, Barocco.

CES

* De Modis figurarum hoc sciendum. (1.) Quod quatuor vocales exhibeant, A. E. I. O. Ubi (A) notat universalem affirmantem. (E) universalem negantem. (I) particularem affirmantem. Et (O) particularem negantem propositionem. (2.) Cui propositioni ergo ex modo aliquo syllaba præponitur in qua (A) reperitur, illa propositio debet esse universalis affirmans. In qua (E) habetur, illa propositio debet esse universalis negans, &c. Et ita ex quantitate propositionum judicare possum in quo modo hic vel ille syllogismus sit.

CES Nullus hostis Dei sequitur voluntatem Dei.

A Omnis verus Christianus sequitur voluntatem Dei.

RE Ergo nullus verus Christianus est hostis Dei.

V. Figura III. est, in qua medius terminus in Majori & Minori propositione stat loco subjecti. Habetque

VI. Modos : Darapti, Felapton, Disamis, Datifi, Bocardo, Ferifon.

DAR Omnis Apostolus est immediate a Deo vocatus.

APT Omnis Apostolus est ex judæis ortus.

I Ergo quidam qui ex judæis ortus, est immediate a Deo vocatus.

CANONES.

I. Major Propositio in prima & secunda figura debet esse universalis. Ostendunt hoc omnes modi in his figuris. Quare hic Syllogismus. N. V. Q. homo est verus Christianus. O. ethnicus est homo. E. Q. ethnicus est verus Christianus.*

II. Minor in prima & tertia figura debet esse affirmans. Ut iterum omnes modi ostendunt. Quare ex Minore negativa N. V. C. ut, O. bonus auditor verbi Dei est homo. Turca non est bonus auditor verbi Dei, E. Turca non est homo.

III. Ex puris affirmativis in secunda figura nihil sequitur. Sc. vi formæ, e. g. O. Patriarcha ante diluvium est vir Dei. O. fidelis minister Ecclesiæ est vir Dei. E. O. fidelis minister Ecclesiæ est Patriarcha ante diluvium, * *

IV.

* Uti ex veris præmissis per accidens aliquando falsum inferitur (patet hoc ex exemplo sub Can. I. & IV.) Ita ex falsis præmissis per accidens aliquando verum inferitur, e. g. O. asinus est rationalis. O. homo est asinus. E. O. homo est rationalis.

** Quandoque vi materiæ non formæ ex puris affirmativis in secunda figura aliquid sequitur, e. g. O. homo est rationalis. Q. animal est rationale. E. Q. animal est homo. Et in tertia figura quandoque vi materiæ ex meris universalibus aliquid sequitur, e. g. O. homo est creatura. O. homo est peccator, E. O. peccator est creatura. A ver-

IV. Conclusio in tertia figura semper est particularis.
Hinc N. V. C. O. homo malus est a Diabolo. O. homo
malus est creatura. E. O. creatura est a Diabolo.

CAP. III.

DE DICTO DE OMNI ET NULLO ET DE
CONSEQUENTIA.

I. DICTUM de OMNI est, quando nihil in propo-
sitione aliqua continetur sub subjecto, de quo non
dici possit prædicatum, e.g. Omnis virtus est laudanda,
E. & temperantia, fortitudo, justitia, &c. utpote quæ con-
tinentur sub virtute.

II. DICTUM de NULLO est, quando nihil in pro-
positione aliqua continetur sub subjecto, de quo
non removeri possit prædicatum, e.g. Nullum pecca-
tum habet conformitatem cum lege Dei, E. nec blasphem-
ia, homicidium, adulterium, furtum, &c. quæ omnia ha-
bentur sub peccato.

III. CONSEQUENTIA est collectio unius ex altero
per particulas Ergo, Igitur, &c. e.g. Homines nascun-
tur ex corruptis parentibus, E. peccato sunt inquinati.

IV. Consequentia alia est enunciativa, quæ habetur in
enunciationibus, e.g. In solum Deum credimus, E. solus
is etiam religioso modo est adorandus. Et alia Syllogistica,
quæ per integrum Syllogismum unum ex altero colligo, e.g.
Quic. est æternus, ille est verus Deus. Christus est æternus.
E. Chri-

Averroës attribuit Galeno Medicorum Principi inventionem quartæ figuræ,
sed alii Scoto hanc adscribunt, sc. ubi Medius terminus in Majori ponitur loco
prædicati, & in Minore loco subjecti, e.g. O. homo est animal. O. animal est sub-
stantia. E. Q. substantia est homo. Sed hæc figura nihil aliud est quam Inversio
primæ figuræ, & non opus est præter necessitatem figuras multiplicare & ingenia
torquere. Vid. Saur, log. p. 379. sq.

E. Christus est verus Deus. Hic colligitur quia Christus est æternus. E. necessario est etiam verus Deus.

CANONES.

- I. Quicquid de toto genere verum est, illud etiam de quavis ejus specie verum est, e.g. O. bonum opus Deo complacens est a Spiritu S. E. & oratio fidelis, celebratio nominis divini, meditatio scripturæ diligens, &c.
- II. In bona consequentia antecedens cum consequente arctissime cohæret, e.g. Homo conservatur in mundo, E. datur providentia Dei. Impossibile enim est ut homo conservetur sine providentia Dei.

CAP. IV.

DE REDUCTIONE ET EXPOSITIONE SYLLOGISMORUM.

- I. REDUCTIO Syllogismorum est, qua syllogismi secundæ & tertiæ figuræ transmutantur in syllogismos primæ figuræ, ut evidentia illationis melius innotescat.
- II. Observandæ sunt literæ hæ in modis secundæ & tertiæ figuræ, C.M.P.S. Notat (S) conversionem simplicem, vid. cap. 8. l. 2. (M) transpositionem Majoris & Minoris. (P) conversionem per accidens, vid. l. c. & (C) reductionem ad absurdum.
- III. In primo modo secundæ figuræ Cesare habetur, (S) E. Major simpliciter convertitur, subjectum in prædicatum, & sic fit syllogismus primæ fig. in modo Celarent, e.g.
CES Nullum malum culpæ est a Deo. CE Nullum a Deo est malum culpæ.
A O. bonum est a Deo. LA O. bonum est a Deo.
RE E. N. bonum est malum culpæ. RENT, E.N. bonum est malum culpæ.

B

IV.

IV. In secundo modo secundæ figuræ Camestres reperitur. (M) E. hic fieri debet transpositio Majoris & Minoris cum conversione simplici Minoris, & sic fit Syll. primæ fig. in Celarent, e.g.

CAM O. homo habet animam rationalem. CE Q. habet animam rat. non est lapis.
ESTR. N. lapis habet animam rationem. LA O. homo habet animam rat.
ES. E. N. lapis est homo. RENT. E. N. homo est lapis.

V. In primo modo tertiæ fig. Darapti habetur lit. (P). E. conversio per accidens hic observatur, & fit syll. primæ fig. in Darii h. m.

DA O. Angelus est spiritus. DA O. Angelus est spiritus.
RAP O. Angelus est creatura. RI Q. creatura est Angelus.
TI. E. Q. creatura est spiritus. I. E. Q. creatura est spiritus.

VI. In secundo modo tertiæ fig. Felapton reperitur. (P) E. conversio per accid. hic adhibetur, & fit syll. primæ fig. in Ferio, h. m.

FE N. ignis est frigidus. FE Nullus ignis est frigidus.
LAP O. ignis est levis. RI Q. leve est ignis.
TON E. Q. leve non est frigidum. O. E. Q. leve non est frigidum.

VII. Expositio syllogismorum est, quando individuum aliquod loco medii termini assumitur & conclusio evidentius efficitur, quæ ante obscurius per medium commune inferebatur. Sic e. g. sanctos etiam in hac vita labi & peccare posse, probo hoc syllog. O. homo peccat. Q. homo est sanctus, E. Q. sanctus peccat, jam si quis de conclusionis veritate dubitaret & posceret expositionem, loco medii communis singulare ei suppeditarem h. m. David peccat. David est sanctus. E. Q. sanctus peccat. Et hic syllogismus vocatur expositivus.

CAP.

CAP. V.

DE MODALIBUS SYLLOGISMIS.

I. MODALIS syllogismus * est qui constat ex propositionibus modalibus, e.g. Quic. vere pœnitentiam agit, necessario remissionem peccatorum habet. Manasses vere pœnitentiam egit. E. Manasses necessario remissionem peccatorum habet.

II. Modalis syllogismus duplex est, (1) Purus, cujus omnes propositiones habent eundem modum. (2) Mixtus, cujus omnes propositiones vel non habent modum (ut præcedens syllog. est,) vel diversum habet modum, e.g. Necessesse est finaliter credentem salvari. Necessesse est Electum esse finaliter credentem. E. necessesse est Electum salvari. Purus hic est syllog. * *

CANONES.

I. Cavendum est in modalibus, ne respectus aut habitudo terminorum immutetur. Si enimaliter sumuntur termini in Maj. quam in Minori, 4. termini fiunt. e.g. Necessesse est fidem veram habiturum, habere Bona Opera. Necessesse est vitam æternam habiturum, habere veram fidem. E. Necessesse est vitam æternam habiturum, habere. B.O. Clarius, Modis in adverbia mutatis. Quic. veram fidem est habiturus, ille necessario debet habere B.O. vitam æternam habiturus necessario debet habere veram fidem. E. vitam æternam habiturus necessario debet habere. B. O. In hoc syll.

B 2

Ma-

* Syllogismi sunt vel Categorici vel compositi. Categorici sunt vel absoluti, qui constant ex propositionibus absolutis, e.g. Deus est justus, Alexander est fortis, vel modales, de quibus hic agitur, vel exponibiles, de quibus in seq. Cap. sermo erit.

** Modi sunt quatuor, necessesse, contingens, possibile & impossibile. De quibus notabis, quando absolute pro parte enunciationis sumuntur, constituunt propositiones, quæ potius categoricæ absolutæ sunt, quam modales, e.g. Quod est contingens non est necessarium; quando autem modi sunt determinationes subiecti aut prædicati, tunc constituunt propositiones modales.

Major loquitur de necessitate præsentia B. O. & Minor de necessitate efficacia, sc. veram fidem necessario vitam æternam operari, quod de B. O. negatur. E. quatuor termini hic ad sunt. Ubi quidem in adultis vera fides est, ibi etiam sunt B. O. Interim B. O. non operantur vitam æternam.

- II. Ut terminus semel est modificatus in una propositione ita etiam is repeti debet in altera. Hinc (1) si prædicatum Majoris in prima & tert. fig. est modificatum, prædicatum conclusionis quoque modificatum sit necesse est. (2) Si subj. Majoris in secunda fig. est modificatum, Præd. Conclusionis modificatum sit, oportet. (3) Si Subj. Maj. est modific. in tert. fig. modificatum itidem sit subj. Minoris. e. g. Quic. liber est Canonicus, ille necessario a Spiritu S. est inspiratus. Epist. ad Romanos est Canonicus liber. E. Epist. ad Romanos necessario est a Sp. S. inspiratus. In hoc Syll. primæ fig. præd. Majoris & conclus. recte est modificatum.

CAP. VI.

DE SYLLOGISMIS EXPONIBILIBUS.

- I. EXPONIBILIS Syllogismus est, qui constat ex propositionibus exponibilibus.
- II. Syllogismus exponibilis est quadruplex: (1) Exclufivus, constans exclusivis propositionibus, (2) Exceptivus constans exceptivis propositionibus, (3) Reduplicativus, constans reduplicativis, & (4) Comparativus, comparativis propositionibus. De quibus propositionibus vid. lib. II. c. 5. Verus hic est syllogismus Exclufivus.

Quic solus pro peccatis satisfecit, is solus est Redemptor.
Solutus Christus pro peccatis satisfecit,

E. So-

E. Solus Christus est noster Redemptor.

Verus hic est syllogismus exceptivus.

Quic. neminem præter Christum credunt verum esse
Messiam, illi alium non expectant.

Christiani neminem præter Christum credunt verum esse
Messiam.

E. Christiani alium non expectant.

CANONES.

I. Qualis terminus est in una propositione, talis
quoque sit in altera necessum est. E. hicce syllog.
peccat: Filius Mariæ, est Filius Dei æternus. Christus
secundum carnem est Filius Mariæ. E. Christus secundum
carnem est Filius Dei æternus. Hic Filius Mariæ in Maj. est
sine determinatione, in Minore autem est cum determina-
tione E. N. V. C.

II. Determinatio terminorum recte collocanda est in
omnibus propositionibus. E. Si subdole divellitur vi-
tiosa fit collectio, e. g. Fides sine operibus justificat. Fi-
des sine operibus est res mortua. E. res mortua justificat.
Hic determinatio sine operibus in Maj. refertur ad prædica-
tum & in Min. ad subiectum. E. divellitur, Deinde male
determinatur Medius terminus in Min., cum non determi-
natus fuit in Maj. E. adsunt quatuor termini.

CAP. VII.

DE COMPOSITIS SYLLOGISMIS.

I. SYLLOGISMUS compositus est, qui constat ex
propositionibus per certam conjunctionem com-
positis.

II. Syllogismus Compos. est triplex: (I) Conditionalis
cujus Major propositio est conditionalis, includens totam
quæstionem, e. g. Si datur Providentia, Deus omnia confer-

vat & gubernat. Atqui datur Providentia. E. Deus omnia conservat & gubernat. (2) Copulativus est, qui Majorem habet copulativam & quidem negantem, e. g. Nemo potest simul servire Deo & Mammonæ. O avarus servit Mammonæ. E. N. avarus servit Deo. (3) Disjunctivus est qui habet Majorem disjunctivam, unoque posito, tollitur alterum, & contra, uno remoto, ponitur alterum, e. g. Discipuli Christi aut dormiunt aut vigilant. Sed non vigilant. E. dormiunt.

CANONES.

- I. Posito antecedente, ponitur consequens. Et destructo consequente, tollitur antecedens, e. g. Si mala concupiscentia prohibetur in Decalogo, est Peccatum. Atqui verum est prius. E. & posterius. *
- II. In syllogismis disjunctivis Major propositio debet esse completa, vel constare ex membris immediate oppositis. Male ergo concluditur: Christianus ille aut ortus est ex judæis aut ex Turcis, sed non ex Turcis, E. ex judæis. Datur tertium, aut ex gentilibus. **

CAP.

-
- * Syllogismus conditionalis affirmativus transponitur in syllogismum categoricum primæ fig. e. g. Si Pseudo Prophetæ deducunt homines in errores, sunt caute fugiendi. Sed verum est prius. Ergo & posterius. Quicumque deducunt homines in errores, sunt caute fugiendi. Pseudo prophetæ deducunt homines in errores. E. Pseudo prophetæ sunt caute fugiendi. Negativus syll. condit. transponitur in syll. categ. secundæ fig. Si justitia est ex lege, sequitur, quod Christus frustra sit mortuus. Sed falsum est posterius. E. & prius. Quicumque dicit justitiam esse ex lege, ille fatetur Christum frustra esse mortuum. Sed Christus non frustra est mortuus. E. justitia non est ex lege.
- ** Ad disjunctivum syllogismum refertur Dilemma vel Syllog. Cornutus, in quo utraque pars Minoris probatur h. m. Si jure me cædis id facis, vel quia bene, vel quia male locutus sum. Si bene, non debebas me cædere! Si vero male, ostendendum id est, & convincere me debebas. Non ergo jure me cædis. Sic infert Christus, Joh. 18, 23. Conf. Luc. 20. 4. de Baptismo Johannis.

CAP. VIII.

DE IMPERFECTIS SYLLOGISMIS.

- I. SYLLOGISMI essentialiter imperfecti sunt argumentationes, quæ a perfecta syllogismi forma recedunt, ita tamen, ut ad eam revocari possint.
- II. Imperfectus syllogismus est quadruplex: (1) Enthymema. (2) Inductio. (3) Exemplum & (4) Sorites.*
- III. Enthymema est, in quo una ex præmissis omittitur & festinata infertur conclusio, e.g. In hoc enthymemate deest major: Furtum est peccatum. E. damnat. In isto minor. O substantia est ens. E. Angelus est ens.
- IV. Inductio est, quando ex enumeratione singularium colligitur universale, e.g. Noachus est peccator, Abrahamus est peccator, Jeremias est peccator, &c. E. omnes homines nudi sunt peccatores.
- V. Exemplum est argumentatio a Simili aliquo singulari exemplo, e.g. Abrahamus justificatus est per fidem in Christum. E. & nos justificamur per fidem in Christum.
- VI. Sorites est argumentatio composita, virtute includens duos vel plures syllogismos, in qua prædicatum primæ propositionis fit subjectum secundæ, & prædicatum secundæ fit subjectum tertiæ & sic deinceps, donec prædicatum ultimæ concludatur de subjecto primæ propositionis, e.g. Quos Deus Præfcivis

* Dicuntur isti syllogismi essentialiter imperfecti, ad differentiam eorum, qui accidentaliter saltem & ratione evidentia imperfecti sunt, ut syllog. secundæ & tertiæ figuræ, in quibus non ita evidens est consequentia, sicut in prima, vid. Saur. in log. p. 4. 5.

scivit hos vocavit. Quos vocavit, hos justificavit. Quos justificavit, hos glorificavit. E. Quos præcivit, hos glorificavit. Rom. 8. 30.

CANONES.


- I. Enthymema fit in manifestis & facilioribus. Alias in obscuris vitiosa collectio fieri potest, e. g. Moses ordinavit Aaronem. E. Moses Aarone fuit superior. Non sequitur, subditus tanquam inferior etiam suum Regem inaugurare potest.
- II. Exemplum sit simile & non dissimile. Quare hoc non valet: Petrus tuto inambulabit aquis. E. & quilibet Christianus tuto aquis inambulavit. Quicquid enim contigit Petro in hac parte, illud ipsi modo extraordinario contigit.
- III. Sorites constet ex propositionibus essentialibus & necessariis, non ex accidentalibus & contingentibus. Quare non valet Sorites hic: Quicumque quotidie epulatur, bene vivit. Quic. bene vivit, bene moritur. Quic. bene moritur, habet veram fidem. Quic. habet veram fidem, coram Deo est sanctus. E. Quic. quotidie bene epulatur, coram Deo est sanctus.

De inductione quidam hunc canonem habent: Inductio omnia enumeret membra necessum est, si non explicite, saltem implicite addita solenni formula: & ita in reliquis, nec datur exemplum contrarium, &c. alias invalida fit inductio, e. g. fundamentum hujus domus est bonum, Parietes sunt boni, E. tota domus est bona. Tectum fortassis est malum.



Verfertigt
von
L. A. GARBÉ
Rostock
Breite Str. 25.





...i, nemo enim nostratium negavit sæpe Scri-
obscuram, modo non iniis, quæ necessaria
em.

principii est, cum idem per idem, incer-
que incertum probatur. e. g. Terra mo-
circumagitur. Pythagorica vera sunt, quia *av-*
pa infallibilis est, quia non errat.

consequentis est, quando ex antece-
se infertur consequens. e. g. Fides justi-
sunt facienda B. O. Fur noctu oberrat, nec
E. qui noctu oberrat, fur vel adulter est.

* secundum non causam ut causam est,
fa apparens & per accidens confun-
vera causa. e. g. Petrus insomnes ducit no-
nimis nummatus. Deus permittit ut homo
eius est peccati causa.

olurium interrogationum * est, cum
rsæ quæstiones in una complicantur, ad
potest categorice responderi. e. g. Estne
aria adoranda? Hæc quæstio neque simpli-
da neque neganda est, sed primo separan-
ctum, & deinde ad prius pertinet affirmatio,
is negatio.

CANO-

exemplum: Deus prævidit Adamum lapsurum. E. necessario
en Dei prævisio non est causâ lapsus, sed abusus liberi arbi-
Diaboli.

tionones miscentur, (1) quoties subjecta plura non subordinata
unum prædicatum enunciatur. e. g. Estne corpus & anima
2) Cum de eodem subjecto diversa prædicata dicuntur, e. g.
Deus, & iuste a Pilato crucifixus?